

na, commodum infirmitati suæ pharmacum inventurum esse, & HIERONYMUS in ep. ad Jul. Tom. I. ad scripturarum sanctarum gravitatem confugimus, ubi vulnerum medicina est, ubi morborum certa remedia. Eadem CHRYSOSTOMUS, pro ea qua in dicendo pollebat facultate eleganter exprimit, omnium medicinarum thesaurus sunt scriptura sac. sive stultitiam exuere, sive adfectus sedare, sive pecuniarum cupidinem expellere, sive fortem animum induere velimus, quam plurima hic remedia invenire possumus. hom. 36. in Joh. p. 227.

In tribulationibus & adversis commodum remedium esse sciebant scripturam erigendi animum. Inter pressuras & turbines mundi æquo animo manere persuadet meditatio & scientia scripturarum, inquit HIERONYMUS, in proem. enar. Ep. ad Eph. Proprium Christianorum hoc esse volebant in scripturis dominicis enutriri, IRENÆUS contra hæres. l. V. c. 17. & inter sacrificia DEO ab hominibus offerenda referebant scripturæ lectionem, CLEMENS ALEXAND. l. VII. Strom. AMBROSIVS Mediolanensium præsul celeb. præ omnibus scripturam extulit, in Ps. XLV. T. IV. p. 573. Loquere Domine Jesu, verbum tuum medicina est, verbum tuum lumen est: verbum tuum nostræ colluvionis ablutio est, verbum tuum fons est; Tu loqueris & culpa lavatur. Omnia nobis factum est DEI verbum. Et in Psal. CXVIII. Remedium tædiorum omnium Christus & scriptura divina & in tentationibus unicum refugium. — Legis meditatio facit, ut tempora tribulationis, tempora quibus humiliamur aliquibus adversis, sustinere & tolerare possimus, ut neque humiliati nimis, neque dejecto frangamur adfectu. — Sanus sapientiam in ea acquirit, captivus redemptorem, liber remuneratorem, omnes adificat divina Scriptura. Tandem tripudiat ob thesaurum, quem in scripturis invenit: merito exulto, sine labore meo inveni spolia, inveni Pentateuchum, inveni Regnorum libros, inveni Prophetarum scripta, inveni Christum, inveni Paulum. vid. illustre illud Galliæ Decus DUPINUS. Dissertat. quam præmisit libr. de Script. eccles. l. I. c. 9. §. 3. Eadem sententia fuit HIERONYMI, ore te, inquit, quid hoc sacratius sacramento? quid hac voluptate jucundius? qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam DEI scire prudentiam, & in abdita ejus intrare & sensum crea-